



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Trithemij, Spanheimensis, Et Postea Divi Jacobi apud Herbipolim Abbatis, Viri suo aevo doctissimi. Tomus ... Annalivm Hirsavgiensivm

Opus nunquam hactenus editum, & ab Eruditis semper desideratum.
Complectens Historiam Franciae Et Germaniae, Gesta Imperatorum,
Regum ...

Trithemius, Johannes

S. Galli, 1690

De Lutfrido hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXII. qui præfuit annis
XI. diebus XV. & varijs gestis illius temporis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38550

tibus dedit. Marquardus autem pacem bonam consecutus duo ambitus claustralis latera vetustate nimia penè collapsa cum alijs ædificijs pluribus in Monasterio magnificè reparavit. Murum quoque ante fores Monasterij præclaro & insigni opere inchoavit: quem morte præventus consummare non potuit.

Ambitus
duo latera
instauran-
tur.

Fuit etenim vir sanguine, moribus, ingenio, & sapientiâ clarus, Regibus & Principibus notus, qui tempore confusi & perturbati Imperij Philippo & Ottone dissidentibus Romanæ partes Ecclesiæ, ut verus obedientiæ filius semper secutus, impiorum tyrannidem sustinuit, pro quibus multimoda sibi præmia in celo comparavit.

De Lutfrido hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate XXII. qui præfuit annis xi. diebus xv. & varijs gestis illius temporis.

Mortuo Reverendissimo hujus Monasterij Hirsaugiensis Abbate Marquardo, anno & die præscriptis, ejusque cadavere debito cum honore ac reverentia tradito Ecclesiasticæ sepulturæ; Prior & Conventus, ne tanquam oves sine Pastore dentibus paterent lupi rapacis, tertium de hinc diem, hoc est tertiam & vicefimam mensis Januarij pro novi electione Abbatis de communi consilio statuerunt. Quo adveniente, vocatisque interea jure vocandis, manè omnes ad locum Capitularem convenerunt, & invocata ex more gratiâ Spiritûs Sancti necessariisque tractatibus præmissis, Lutfridum suæ Congregationis Monachum tandem unanimiter in secundum, & vicefimam hujus Monasterij Abbatem elegerunt; virum ingenio mitem, Religiosum & profectæ ætatis, qui ab eo die huic insigni Cœnobio præfuit annis xi. & xv. diebus.

Lutfridus
hujus Mo-
nasterij
Abbas xxxi

Verùm quia Conradus Ecclesiæ Spirensis Antistes Regi Philippo, necessitate compellente, fuit consentaneus, & ob id gratiam Sedis Apostolicæ illa tempestate non habuit, noluit ab eo munus benedictionis accipere, quem noverat favorem summi Pontificis Innocentij non habere. Volens ergo Prædecessorum suorum inherere vestigijs, qui munus benedictionis à nullo unquam receperunt schismatico, vel extra Sedis Apostolicæ gratiam constituto; præsertim cum Privilegium ad hoc sufficiens habeant Hirsaugienses, ad Guidonem Prænestinum Episcopum supra dictum, Apostolicæ Sedis Legatum se contulit, & donum ab eo consueta benedictionis apud Saxoniam in Lutherensi Monasterio suscepit.

Fuit autem Lutfridus iste homo, sicut diximus, ingenio mitis, tranquillus, atque pacificus, qui curans interna quantum potuit, se à curis mundi superfluis prudenti ratione subtraxit. Noverat enim dixisse in S. Evangelio Dominum: *Primum querite Regnum DEI, & omnia, quæ necessaria sunt ad præsentis vitæ sustentationem, adjicientur vobis.* Hanc Domini pollicitationem continuè gerens in memoria studiosius æterna temporalibus præposuit, & vanas mundi occupationes libenter declinavit. Quæ per alios expedire potuit, non sibi sed alijs commisit.

Lutfridus
à Legato
benedic-
tur.

Oriundus fuit ex Francia Orientali, honestis liberisq; parentibus pro-
creatus;

Lutfridus
fuit patriâ
Francus.

creatus; qui puer ad literas positus cum ætatis incremento scientiâ quoque hausit scripturarum. Factus deinde profectior ætate, cum se mortuum aliquando minimè dubitaret, iudicium Dei cœpit salubri timore in mundo sæpius cogitare. Divinâ igitur miseratione præventus, mundum cum suis oblectamentis pro Christi amore tandem deseruit, & in hoc Hirsaugiensi Cœnobio habitum Monasticum suscepit, sub Conrado ejus nominis II. Abbate. Qui Monachus factus in medio fratrum sine querela conversatus est, probatusque in omnibus & per diversa officia Monachorum fidelis inventus, onus curæ Pastoralis postremò, sicut diximus, omnium consensu obtinuit: utiliterque ministravit.

Lutfridus
fit hic Mo-
nachus.

Archiepisc.
Colon. ex-
communica-
tur.

Anno prænotato Dominicæ Nativitatis, MCCV. qui fuit primus Lutfridi Abbatis, venerunt ad Coloniam Sifridus Archiepiscopus Moguntinus & alius quidam Episcopus Cameracensis ab Innocentio Papa III. Commissarij & Judices constituti, qui in majori Ecclesia S. Petri coram omni Clero & magna Populi multitudine Adolphum memoratæ Ecclesiæ Archiepiscopum, à prædicto Romano Pontifice excommunicatum publicè denunciaverunt; propterea, quod Regem Ottonem deseruit; & Philippo contra Sedis Apostolicæ decretum, & juramentum fidelitatis, quod Ottoni prius fecerat, adhæsit.

Singulis
diebus fe-
stis denun-
ciatur.

Denuntiatione hujusmodi sententiæ per eos factâ, omnibus & singulis Ecclesiarum Rectoribus in dicta civitate per obedientiæ virtutem mandaverunt, quatenus ipsùm Adolphum per omnes tam Conventuales, quàm Parochiales Ecclesias, singulis diebus Dominicis, & festis publicè denunciarent anathematis vinculo innodatum.

Sententia
depositio-
nis & ex-
communi-
cationis.

Hoc etiam sententia summa continebat, ut si Adolphus Archiepiscopus intra unius mensis spatium post denuntiationem hujusmodi factam, ad satisfaciendum summo Pontifici, se ad iter versum curiam Romanam non disponeret: officio mox Pontificali destitueretur per definitivam Commissariorum sententiam: & alius in locum ejus ordinaretur Archiepiscopus per liberam electionem Canonicorum ipsius Ecclesiæ.

Adolphus
deponitur
ab Episc.

Verùm Adolpho in sua sententia, nè dicam pertinaciâ perseverante, & comminationem simul & censuras Romani Pontificis contemnente, memorati Commissarij denuo in majori Ecclesia S. Petri Apostoli apud Coloniam convenientes, coram Clero & populo in præsentia quoque Regis Ottonis anno prænotato in festivitate Sanctorum Martyrum Gervasij & Prothasij, quæ fuit XIX. dies mensis Junij, Adolphum per sententiam diffinitivam, autoritate Domini Papæ Innocentij III. ab omni officio & dignitate Pontificali deposuerunt, Canonicis, ut alium eligant Pontificem, seriosius mandantes.

Bruno fit
Archiepisc.
Colonienf.

Qui mandatis Apostolicis obedientes, Brunonem ex Comitibus de Seyna Bonnenfis Ecclesiæ Præpositum in Archiepiscopum unanimi concordique voluntate elegerunt: qui tamen ad plenam administrationem Episcopatus quamdiu Rex Philippus fuit in humanis non pervenit. A quo etiam postea captus & diræ mancipatus custodiæ fuit, ut suo loco inferius & tempore, largiente Domino, plenius dicemus. Adolphus verò tantam injuriam vindicare satagens ad Regem Philippum tunc Spiræ commorantem cum suis se contulit: consilium pariter & auxilium contra Brunonem & cives Colonienfes imploravit.

Com-

Communi ergo Principum decreto Rex Philippus magnum congregavit exercitum: & post festum Nativitatis Beatæ MARIE semper Virginis Mosellæ fluentia transivit: atque in festo sancti Archangeli Michaelis Coloniam arctissimâ obsidione vallavit. Cernens autem quod eam capere non posset, obsidionem post dies aliquot soluit: & circumducens per regionem exercitum: non sine contritione pauperum, Nussia oppidum quod in descensu Rheni fluminis sex ferme à Colonia distat milliaribus, obsedit, cepit & Adolpho resignavit. Quibus peractis, omnem provinciam incendio, ferro & prædâ vastavit, & multas in circuitu munitiones vel cepit vel destruxit: castrum quoque illud amœnissimum Provincie Corona dictum, quod in nostro idiomate Landskron appellamus, propter ejus pulchritudinem ad domandum Colonienfes suo tempore fortissimum Rex ipse construxit.

MCCVI.

Anno Lutfridi Abbatis II. moritur Henricus Episcopus Herbipolensis anno Pontificatus sui v. nondum completo: cujus corpus in Ecclesia principali debita cum solemnitate fuit sepultum. Hic fuit Magister sacre scripturæ doctissimus, qui multo tempore cathedram Theologicæ facultatis apud Parisienses legendo & docendo magnificè illustravit: & illuminati ingenij sui famam celebrem acquisivit. Cui in Pontificatu memoratæ Peapolitanæ Ecclesiæ successit Otto de Ladenburg, & præfuit annis xvi. & mensibus v. vir certè nobilis atque magnificus: qui singulari sapientiâ præditus Ecclesiæ facis utiliter præfuit.

Eodem anno mortuus est in Græcia Balduinus ex Comitibus Flandriæ Constantinopolitanus Imperator: Princeps per omnia Christianissimus, qui multa pro fidei Catholicæ defensione prælia contra infideles commisit: huic in Imperio Græcorum successit Henricus frater ejus, Comes de Flandria & annis xi. strenuè imperavit.

Anno prænotato Philippus Rex fines Colonienfium denuo ingrediens occurrente sibi Adolpho, priore quidem anno, sicut diximus, deposito, sed Archiepiscopum se nihilominus gerente, cum Comitibus & magno exercitu totum Episcopatum percurrere suo pro libitu, Imperio suo subjugavit.

Rex autem Otto & Bruno Colonienfium Archiepiscopus in locum depositi Adolphi, priori anno electus & istic per Sifridum Moguntinum consecratus duobus Episcopis per Angliæ Regem de Britannia missis astantibus, cum id nemo Teutonicorum præsumeret metu Regis Philippi: intra muros Colonienfes cum suis se continebant. Qui accepto consilio tandem cum quadringentis equitibus & duobus peditum millibus de Colonia exeuntes, cum Rege Philippo pugnare statuerunt, quod eis non cessit in prosperum.

Congredientes igitur hi duo Reges Otto & Philippus cum exercitibus suis apud Wassenburg, Rex Otto & sui terga verterunt: & Philippus Rex obtinuit campum: qui inter multos nobiles de parte Ottonis etiam Brunonem memoratum Archiepiscopum cepit: quem manibus ferreis constructum, captivum abduxit: & plusquam ad anni spatium in arcta custodia vincum detinuit. Donec tandem interventu Principum absolvitur. Interea cives Colonienfes deteriora sibi futura metuentes cum

Rex Philippus devastat Colonienfes.

Landskron à Philippo constructur.

Otto fit Episcopus Herbipol. Ecclesiæ.

Henricus fit Imperator Græcorum.

Rex Philippus iterum devastat Colonienfes.

Otto Rex in Colonia moratur.

Bruno Archiepiscopus, in bello captus.

viderint res ſuas in malo poſitas & ſibi totum penè adverſari Teutonicum Regnum, accepto conſilio Ducis Brabantia Regem Philippum Bopadia commorantem accedunt: commiſſorum in illum veniam humiliter poſtulant: & quam optaverant gratiam cum indulgentia conſequuntur. Rex autem Philippus Conradum Spirenſem Episcopum poſtea deſtinavit ad Coloniam: qui Regis nomine juramentum fidelitatis à civibus cum alijs & quidem neceſſarijs cautionibus acciperet: quod totum factum eſt. Per idem tempus Otto Rex qui de bello fugiens intra muros ſe Colonienses cum ſuis receperat, inde diſcedens intravit Saxoniam, & in oppido Brunonis vico, rebus ſuis utrunque ordinatis navigavit in Angliam: ubi ab avunculo ſuo Rege Albionis honorificè ſuſceptus, aliquanto tempore cum eo manſit. Videbat enim à ſe defluxiſſe Principes, & æmulum ſuum proſperare in omnibus: ſe autem præter nomen nihil habere in Regno. Unde latere ad tempus apud ſuos in Anglia maluit, quam res ſimul & corpus tot periculis & diſcriminibus vitæ ſubijcere.

Rex Otto
ſeceſſit in
Angliam.

Anno etiam prænotato Philippus Rex Coloniensibus iterum in arma ſua compulſis, ut ſibi Regnum cognatione amicorum firmaret filiam ſuam natu majorem Regi Bohemorum dedit uxorem. Aliam verò arte minorem filio Ducis Brabantia matrimoniali fœdere copulavit.

Hinc viribus non parùm auctus fortis in Regno factus eſt: in tantum ut etiam Romano Pontifici Innocentio jam eſſet ſuſpectus. Eodem quoque anno, ultimâ die menſis Februarij facta eſt circa horam ſerme diei tertiam ſolis defectio, quam Ecclypſin Græci nuncupant, & multi quidem, humanum ſe caput in ſole vidiffè, teſtabantur.

MCCVII.

Anno Lutfridi Abbatis tertio, indiſtione Romanorum decimâ Conradus Episcopus Spirenſis Eccleſiam Dominici ſepulchri in ſuburbano ejuſdem civitatis, in qua Moniales antea fuerant, cum omnibus, attinentijs & proventibus ejus Præpoſito de Denckendorff in perpetuam tradidit proprietatem & poſſeſſionem, ut monialibus, quæ tunc erant in ipſa, vitâ deſunctis, aut alicui proviſis, conventum virorum ſuæ poſſeſſionis inſtitueret; qui tamen juridiſtioni Pontificis pro tempore exiſtentis in Neometenſi Eccleſia ſubjaceret. Igitur Præpoſitus in Denckendorff locum acceptans ſui Ordinis viros in eo reſpoſuit, quibus Priorem ſecundùm Religionis ſuæ conſuetudinem præfecit.

Prioratus
Ordinis S.
ſepulchri
in Spira eri-
gitur.

Eodem anno Principes Imperij longâ Regum diſcordiâ ſagitati communi inter ſe conſilio, Rege Philippo annuente, habito, miſerunt Legatos ad Romanum Pontificem Innocentium, qui pro pace laborarent duorum Regum diſſidentium. Fuerunt autem Legati Wolffgerus Aquitaniensis Patriarcha, Gebhardus quoque Magdurgentiſum Bîrgrafus, & Miniſteriales nonnulli de curia Regis Philippi. Qui aſſumptis ſecum de Cremona viris in jure peritis Romam veniunt, & Papam ut Regni jura Philippo adminiſtranda permittat multis rationibus inducunt. Verùm Papa conſtitutionem ſaris peregrinam interponit negotio, totis laborans conatibus, ut filia una Regis Philippi in uxorem nepoti ſuo deſponderetur; futurum indubitanter exiſtimans, Tuſciam, Spoletum, atque Marchiam Anconitanam propter hujusmodi nuptias in poteſtatem ejuſdem, ſui nepotis oportere cedere. Reſpondere legati hujus ſe retrul- lam

Conditio-
nem Papa
interponit.

Legati
Principum
Romanam
miſſi.

lam habere commissionem, consulere tamen Pontifici, ut aliquos mittere de suis in Germaniam Legatos ad Regem non judicaret indignum; se quoque pro viribus duros operam, ut res consequatur effectum, quorum consilij Papa facilem præbens consensum, Legatos suos eis confo-
ciat, se posse consequi matrimonium nepoti confidens, quod quærebat. Mittuntur itaque cum oratoribus Principum Apostolicæ Sedis Legati ad Germanos, Hugolinus videlicet Episcopus Hostiensis, Episcopus quoque Veltrensis, & Leo tituli sanctæ Crucis in Hierusalem Presbyter Cardinalis.

Anno igitur prænotato circa festum S. Andreae Apostoli Philippus Rex cum quibusdam Regni Principibus apud Augustam Sueviæ Urbem colloquium habuit: ubi memoratus Aquileiensis Patriarcha comparuit, & Regem super conditionibus à Papa propositis avisavit, atque Legatorum illius adventum, quos ipse prævenerat, in proximo fore præsentem dixit. Risere Principes unà cum Rege Pontificis Romani petulantiam, quod homo Christi Vicarius legem Domini sui temerare audeat.

Interea venerunt Sedis Apostolicæ Legati ad Augustam; quibus honorificè susceptis, Rex cum eis Spiram descendit: & per literas suas publicas Conventum Principibus apud Northusen Saxonie oppidum in proximo Dominicæ Nativitatis festo celebrandum, solemniter indicit. Quibus interim Neometi comitantibus multa proponuntur media pacis; sed nil erat ex omni parte conveniens eorum quæ tunc ibidem fuere proposita.

Anno igitur prænotato circa festum Dominicæ Nativitatis Rex Philippus unà cum prænotatis Apostolicæ Sedis Nuncijs atque Legatis, juxta dictum Principibus apud Northusen occurrit; & solemne colloquium celebravit. Multa ibi pro comuni pace & concordia inter duos Reges instauranda Principum ac Legatorum consilio tractata sunt; & in eam sententiam postremo convenerunt: ut Regis Philippi filiam unam (habebat enim plures.) Otto in uxorem duceret: cedensque interea Regno, quàm diu socer viveret: post ejus mortem si haberetur superstes, licite regnaret. Verùm ne matrimonium contrahendum impediret gradus consanguinitatis, Apostolicæ Sedis pro communi pace subveniret authoritas.

In hac solempni convocazione Principum sæpe dicti Apostolicæ Sedis Legati ad instantiam Regis Philippi, Adolphum depositum Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopum à vinculo excommunicationis, quo tenebatur ligatus, absolverunt, quem tamen pro satisfactione commissorum ad Apostolicæ Sedis examen remiserunt. Ecce quid meruit! qui Regi excommunicato pertinaciter adhærens, contra mandatum Apostolicæ Sedis in propriam perniciem recalcitravit. Ad instantiam pariformiter Legatorum & Principum Rex Philippus Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, quem anno priore, sicut diximus, captum vinculis mancipaverat è custodia liberum dimisit; qui solutus cum dictis Legatis Romanam profectus Pallium & gratiam à Papa obtinuit.

MCCVIII.

Anno Lutfridi Abbatis quarto Philippus Rex cum suorum exercitu de Saxonia reverfurus in Sueviam in itinere ad civitatem Babenberg aliquan-

Legati Pa-
pamittun-
tur ad Prin-
cipes.

Legati Re-
gem acce-
dunt in Au-
gusta,

Venerunt
Legati ad
Augustam.

Adolphus
de excom-
municat-
ione ab-
solvitur.

Rex Philippus à Palatino Comite interficitur.

Philippus Rex occiditur.

Ecclesia in Eslingen datur Spirorensi.

Otto Rex IV. Rex constituitur.

Sifridus Archiepiscopus Moguntinæ venit.

tulum quieturus divertit. Qui die quâdam ibidem consistens sanguinem de vena per incisionem emisit; & ob id jucundior factus inter nobiles hilari vultu incedens, peracto prandio pausaturus cameram cum paucis intravit. Quod animadvertens Otto Comes Palatinus de Wittelsbach, qui odium contra Regem occultum portabat in corde, assumptis secum Egberti Bambergensis Episcopi militibus ad ostium Cameræ Philippi Regis propius accedens pulsavit; qui mox Rege nihil mali suspicante, intromissus est. Introgressus homo perditionis cum præter Regem & Conradum Spirenses Episcopum, qui Cancellarius erat, Henricumque Dapiferum de Walpurg, neminem adesse videret: gladium, quo erat accinctus, latenter extraxit; & irruens in Regem parvum vulnus in ejus colulum dedit, venam illi organicam, clamore Dapiferi perterritus, abscondens. Dapifer etenim crudele facinus intuitus cum nimio clamore cucurrit ad januam, cupiens eam occludere, ne truculentus homicida posset aufugere. Concussus pavore latro, ut Dapiferum audivit clamantem, retrorsum convertitur, vibratoque in maxillam obstantis gladio, fores cameræ illo cadente aperit: & priusquam sciretur, equis de civitate cum suis aufugit. Quo extra Palatium profiliante oritur subito clamor, fitque ad Cameram Regiam plenus perturbatione concursus; Rex jacet in pavimento sanguine respersus: & spiritum jam vitæ ultimum trahit. O miserabile spectaculum! sic perit Rex Philippus, qui pacem consecutus vitam amisit, quam semper in bello servavit. Corpus occisi Principis, non sine lachrimis multorum primò in majori Ecclesia Bambergensi fuit sepultum; cujus ossa post aliquot annos, per Fridericum Imperatorem II. ejus de fratre nepotem Spiram translata sunt; & in majori Ecclesia cum funerali solemnitate inter alios Reges tumulata.

In quorum illatione prædicta Fridericus memoratus Rex Siciliae Apuliaeque Dux Suevorum & hæres Regni Jerusalem, Ecclesiam Parochialem in oppido Sueviæ imperiali Eslingen cum omnibus justitijs & proventibus suis ac jure patronatûs Ecclesiæ Spirensi liberè donavit. Quam donationem postea factus Imperator II. innatam banno imperiali confirmavit. Occisus est autem Rex Philippus anno Dominicæ Nativitatis præsignato, XXI. die mensis Junij. Otto verò Comes nefarius peracto scelere fugit ad Episcopum Egbertum & fratrem ejus Henricum Marchionem de Andersee conspirationis suæ conscios & socios. Qui postmodum Ottone IV. imperante criminis sui vindictam accepit. Nam Henricus de Kalidin Philippi Regis quondam Marscalcus ob necem domini sui non infidiosè, sed gloriosè illum non procul à Ratisbona in quadam curte sive grangia repertum interfecit.

Anno igitur prænotato post mortem Regis Philippi miserabilem, Conventus Principum apud Franckenfurt factus est magnus, ubi Otto Saxoniæ Dux, qui diu pro Regno contra Philippum bellaverat omnium consensu denuo in Regem fuit electus: & annis paucis regnavit in pace: quia per Romanum Pontificem, ut suo dicemus loco, fuit depositus: & Fridericus Dux Suevorum, Henrici Imperatoris VI. quondam filius, Apuliae ac Siciliae Rex in locum ejus à Principibus ordinatus. Eodem anno Philippo Rege occiso, Sifridus Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, qui metu illius biennio exul à patria Romæ in Ecclesia S. Sabinae titulum Car-

Cardinalatus tenuerat, jubente Papâ Innocentio ad propriam Sedem revertitur: ejectioneque Diepoldo sive Lupoldo Wormatiensium Episcopo, qui Archiepiscopatum, ut supra diximus, invaserat, civitatem cum honore magno ingreditur: & tam à populo quàm à Clero cum latitia suscipitur. Lupoldus etenim Philippi Regis potentia fretus Ecclesiam Moguntinam, expulso Sifrido, violenter occupans multa commisit mala, contemnens Romani Pontificis mandata omnia, & sententiam excommunicationis irridens.

Anno etiam prænotato Bruno Colonienfium Archiepiscopus, quem Romam ivisse cum Apostolicis Legatis jam antea diximus, mortuo Rege Philippo, qui Adolphum manutenuerat, in Germaniam cum Sifrido Archiepiscopo revertitur Moguntino: qui Coloniam ingressus in die Sanctorum Martyrum Prothi & Hyacinthi cum honore ac tripudio totius Cleri & populi suscipitur. In cujus adventu pax est reddita provinciae & latronum prædonumque insatiabilis multitudo procul mox fugatur: cui omnes Ecclesiae Vasalli, Comites & nobiles terræ obedientiam consueto subjectionis homagio juraverunt. Adolphus etiam quondam Archiepiscopus, sicut Romæ promiserat in manus Papæ, adveniens obedientiam & subjectionem, ut Papa voluit, juravit. Item anno præscripto circa festum sancti Martini, conventu Principum apud Frankensfurt durante, Conradus de Scharffeneck Spirensis & Metensis Ecclesiarum Episcopus & Philippi Regis olim Cancellarius in castrum munitissimū Trifels se contulerat, metuens nimirum à facie Regis Ottonis: & nec venire ad ejus conspectum voluit, nec Regalia præsentare insignia quæ secum habuit, nisi Cancellarium se facturum Otto suum promitteret: quemadmodum Regis Philippi prius extiterat. Quod cum Rex Otto libenter admitteret, Regalia illi restituit insignia: & Cancellariatus officium, quod ambierat homo superbiâ plenus, accepit.

MCCIX.

Anno Lutfridi Abbatis V. Innocentius Papa III. audiens, quod Principes Imperij electores Ottonem concorditer sublimassent in Regem, factum laudavit; mittensque denuo Hugonem Hostiensis & Leonem Sanctæ Crucis Cardinales suprascriptos in Germaniam Legatos, Regem ad Coronam Imperij Romam amicabiliter vocavit. Venientes autem in partes Teutoniæ memorati Cardinales, matrimonium inter ipsum Regem Ottonem & filiam quondam Regis Philippi Apostolicâ sanctione confirmârunt, pacis intuitu communis super consanguinitatis impedimento dispensantes, justiciam ministrârunt postulantibus.

Eodem anno Rex Otto conventum Principum apud Herbipolim urbem Francorum Orientalium solemnem celebravit, ubi venientes ad se memoratos Apostolicæ Sedis Legatos cum debito honore suscepit. Ibi quæ diximus facta sunt: nec erit inutile denuo si dicantur. Sedebat in medio Principum Rex Otto throno sublimi Cardinalium alterum à dextris alterum verò à sinistris habens confedentem. Deinde silentibus cunctis aperiens os suum alter Legatorum Hugo Episcopus Hostiensis, injunctum sibi Legationis declaravit officium: contractumque Regis cum nepte matrimonium, autoritate Romani Pontificis ratificando confirmavit. Peractis autem pro pace Regni necessarijs, missi revertun-

Bruno Archiepiscopus Coloniam ingreditur.

Conradus Episcopus Spirensis Cancellarius.

Castellum Trifels fortissimum.

Papa Legatos misit ad Regem.

Convectus Principum Herbipolæ.

Rex Otto
prædonam
persecutor.

tur ad urbem. Post hæc Otto Rex Franciâ discedens Orientali, Scythiam, peragratis tamen prius Rheni partibus, ingreditur: ubi magnum prædonibus ac sceleratis incussit timorem; quoniam sententiam in eos justitiæ quam demeruerant sine personarum delectu promulgavit: omnes etenim latrones vias insidijs obfidentes, atque prædones, quotquot invenire potuit, sive nobiles sive ignobiles sine aliqua remissione laqueo fecit suspendi.

Conventus
Principum
Augustæ.

Anno quoque prænotato circa festum Epiphaniæ Domini factus est conventus Principum in civitate Augustana, in quo Rex Otto interfectorem quondam Regis Philippi, Ottonem videlicet Comitem Palatinum de Wittelspach & Henricum Marchionem de Andersee fratrem Episcopi Bambergensis Egberti cum eorum complicitibus & conjurationum socijs juxta legem Bavaricam de patria proscripsit, eosque omni beneficio dignitate & bonis cunctis per imperiale decretum privavit, & in alios transfudit.

Colloquiū
in Hagenaw
fuit.

In mense post hæc Martio generale colloquium in oppido Hagenaw cum certis Principibus habuit: ubi futuram in Italos expeditionem intimavit. Inde progressus in Saxoniam revertitur: ubi filiam Regis Philippi sibi desponsatam in oppido Brunsvich, donec reverteretur ab Italia, mansuram collocavit. Interea Principes tam Ecclesiastici quam mundani ad imperium Regis & se disponunt, & suos ad iter Italicum.

Rex Otto
Romam
proficiscitur.

Anno igitur prænotato in principio mensis Julij, Rex Otto & Principes Regni convenerunt apud Augustam Sueviæ civitatem, & cum valido exercitu iter conceptum instituunt in Italiam. Consilio igitur habito, Rex per vallem Tridenticam Triumphator in pace gloriosus intravit; omnes enim totius Lombardiæ Comites, Nobiles & civitates cum ingenti apparatu illum suscipientes oppida, civitates, & munitiones Provinciæ omnes ejus Imperio subdiderunt: infinitam quoque pecuniâ vectigalium & tributorum à tempore Henrici Imperatoris apud illos repositam ei ad manus voluntariè tradiderunt. Quam diu enim dissensio duravit in Regno, census & annuæ subventiones Imperij per Italiam ubique reponerantur.

Rex Otto
Romam
cum suis
ingreditur.

Post hæc ultra cum exercitu valido progrediens tandem pervenit Romam occurrente sibi Papâ cum universo Clero & populo civitatis, qui magno cum honore ad Ecclesiam illum sancti Petri duxerunt. Valde namque desideratus Pontifici ejus videbatur adventus, & multo illum tempore præsentem videre cupiebat, cujus partes contra Philippum tanto tempore tamque studiosè libens fuerat persecutus: licet magnus hic amor in odium fuerit majus postea commutatus.

Otto Coronam
Imperij suscipit.

Anno igitur Domini prænotato, die mensis Octobris quartâ, quæ tunc erat Dominica post festum S. Michaelis prima, Rex Otto quartus Imperij coronâ de manibus Innocentij Papæ III. Romæ in Basilica sancti Petri cum benedictione suscepit: licet multi ex parte Regis Gallorum Philippi hoc impedire molirentur, propter odium ipsius Ottonis. Rex etenim Gallorum memoratus partes demortui Regis Philippi contra Ottonem dum viveret ille fovebat, sperans tali occasione Comitem Flandriæ suo Imperio fore subjugandum. Rege autem Ottone imperiali diademate, sicut diximus, Romæ per Innocentium Papam solemniter coronato,

Inter Romanos & nostros scditio.

ronato, factus est inter Romanos & Teutones mox alterâ die tumultus propter debitum coronationis. Concurrent utrinque ad arma: fit bellum atrox in quo multi fuerunt occisi, plures quoque ad mortem vulnerati: cujus indignitate facti permotus Imperator cum in ea congregatione, quam posterâ die fecerat, Romanorum de refarciendis damnis rationem exegisset (nam centum & mille suorum in illo tumultu se amisisse dicebat) insolentia dans locum urbe discessit.

Claruit his temporibus in Italia S. Franciscus vir Evangelicæ perfectionis prædicator & factor omnium ferventissimus, qui Ordinem fratrum Minorum instituit: quibus brevissimam quidem, sed consummata perfectionis Regulam vivendi constituit, quam Honorius Papa II. postea confirmavit. Hic sacer Ordo Minorum plures deinceps viros doctos atque sanctissimos protulit: & cum tempore per totum orbem Christianum valde crescens & proficiens multiplicatus est. Æstas hoc anno fuit tonitrui, fluminibus & imbribus valde impetuosa: hyems quoque nimis dura & asperissima, quæ diutius solito duravit: unde in multis Germaniæ locis alimenta defecerunt jumentis: & inopia diu pressit mortales: & eos maximè quibus copia defecit auri.

MCCX.

Anno Lutfridi Abbatis VI. cum Otto Imperator offensus Romanorum insolentiâ, sicut diximus, Papam Innocentium de subordinatione peracti tumultus vehementer haberet suspectum, cupiens irrogatam sibi vindicare contumeliam: terras Ecclesiæ Romanæ hostili peragrabat incursum, nam exiens de Roma aliquamdiu Mediolani remansit: ubi dimissis imperialibus insignijs cum maximo favore Mediolanensium per Tusciam & Marchiam Anconitanam circumduxit exercitum terrasque Pontificis hostiliter invasit. In primis quidem Romandiolam penè totam occupavit: deinde ad Neapolitani Regni Provincias conversus easdem suo subjugavit Imperio. Hinc motus Papa Innocentius Ottonem, quem prius dilexit, odisse cœpit. Fuerunt, qui scriberent causam dissensionis inter Papam & Imperatorè propter Apuliæ Regnum hanc exitisse principalem: quòd Mechthildis filia quondam Rogerij Siciliae Regis, uxor videlicet Henrici Imperatoris VI. & mater Friderici postea II. moritura Provinciam cum filio Romano Pontifici, & per eum Ecclesiæ donavit in feudum perpetuum. Quam foeminae donationem Papa memoratus acceptans confirmavit, in quam tamen Principum nullus consenserit: ideòque invalida censeretur. Imperator metuens dissimulationem Imperio nocituram, Papæ constanter restitit: Capuam & alias munitiones plurimas in Regno sæpe dicto per potentiam suo Imperio subjecit. Quamobrem à Pontifice primò quidem per literas & nuncios ad restitutionem ablaturum monitus est, deinde non advertens scripta monentis excommunicatus: & postremò in Concilio Præfulum Romæ habito ab Imperio per sententiam depositus: & Fridericus, ut suo dicemus ordine, contra eum electus.

MCCXI.

Anno Lutfridi Abbatis VII. Indictione Romanorum XIV. Otto Imperator prosperis utens successibus totam Apuliam & Calabriam suo imperio subjecit, oppida & civitates in deditionem accepit, castella & munitiones

V v v 3

nitiones

S. Franciscus
Ordinem
Minorum
instituit.

Æstas in-
temperata
& Hyems
dura.

Otto Imp-
erator de-
vastat A-
puliam.

Inter Pa-
pam & Im-
peratorem
dissensio.

Otto Im-
perator ex-
communic-
atur & depo-
nitur.

nitrones ſuis militibus comiſit: & Fridericum Apuliae Siciliaeque Regem Henrici Imperatoris VI. filium exterminare penitus cogitavit. Unde Papa Innocentius per literas Archiepiſcopo Moguntinensium Sifrido mandavit: quatenus Ottonem excommunicatum & ab Imperio depoſitum per totum Regnum Teutonicum publice & in omnibus civitatibus denunciaret: quod & factum eſt. Quibus auditis Henricus Comes Palatinus Rheni, Dux quoque Brabantiae & alij Principes, Comites, Barones, Nobiles, cum civitatibus, qui partes tuebantur Ottonis, magno ſuorum coadunato exercitu circa feſtum S. Michaelis Archangeli contra Sifridum Archiepiſcopum procedentes ejus Episcopatum hoſtiliter invadunt: totamque Eccleſiae Moguntinae ditionem incendio & rapina crudeliter vaſtantes: nihilque praeter civitates & caſtella munita intactum relinquentes, villas incendio destruxerunt, Monasteria, Eccleſias, & quaelibet loca Dioceſis rapinis expoſita ſine miſericordia ſpoliarunt, nulli omnino loco parentes. Archiepiſcopus autem Sifridus, qui omnia haec mala propter Apoſtolicae Sedis reverentiam, honorem, & obedientiam fideli conſtantia ſufferebat, cum incurſantibus ex aequo non poſſet reſiſtere: coactus eſt cum patientia tolerare. Et quia nuſquam tuta fides, nemini ſuorum audebat confidere: utile ſibi viſum eſt ad tempus iram furentium declinare. Seceſſit ergo in partes Thuringiae: & apud Hermannum Provinciae Comitem cum Romana Eccleſia fideliter ſentientem manſit.

Anno etiam praenotato Imperator Otto intelligens Romani Pontificis ſententiam tam excommunicationis quam depoſitionis ab Imperio contra ſe per totam Germaniam eſſe publice denunciatae, & veritus ne quis novus in Regno tumultus contra ſe oriretur in abſentia, relicta Italia, in Teutoniā reverſus eſt. Qui Regnum invenit perturbationibus plenum, & multos ab ejus fidelitate reſceſſiſſe. Papa namque Innocentius, qui illum publicum Eccleſiae hoſtem declaraverat, & ob id depoſitum ab Imperio pronunciaſſet, Praelatos omnes Eccleſiae Regnique proceres & Imperio ſubjectos a juramento fidelitatis & obedientiae, quo illi tenebantur obſtricti, abſolvit, mandans omnibus & ſingulis ſub horribilibus poenis cenſuram, ne quis Imperatorem illum deinceps nominare praesumeret.

MCCXII.

Anno Lutfridi Abbatis VIII. Imperator Otto, licet abrogatus per Papam, nihilominus ſe gerens Imperatorem, circa Feſtum Pentecostes conventum Principum partes ejus ſequentium in oppido Nürnberg celebravit: in quo multiplices contra Romanum Pontificem querelas depoſuit, & quam iniuste ab illo infectaretur, expoſuit: Ad vos, inquit, pertinet o Principes Teutonici diſpoſitio regni: veſtrum eſt Regem ex vobis, quem voveritis, eligere: veſtrique juris eſſe fatemur, non Romani Pontificis, Imperatorem creare ſimul & deſtituere. Jus igitur veſtrum defendite: & una nobiſcum deſtructorem Imperij deſerite, aut ſi diſſimulando Imperatoris depoſitionem permiſeritis: brevi de veſtra poteſtate actum ſciatis. His atque ſimilibus Otto Imperator ſermonibus animos quorundam Principum ſibi conciliaſſet, quamvis in finem non perſeveraverit. Congregato poſt haec magno ſuorum exercitu Imperator memoratus Otto expeditionem movit in Thuringiam adverſus Hermannum Land-

Eccleſia
Moguntina
tribulatur.

Archiepiſc.
fugit in
Thuringiam.

Imperator
de Italia
revertitur.

Omnes a
fidelitate
ejus abſol-
vuntur.

Conventus
Regis &
Principum
apud Nürnberg.

Imperator
devaſtat
Thuringiam.

Landgravium, qui cum Ecclesia Romana fideliter sentiens ab ejus se fi-
de subtraxerat, & in primis quidem duas illius munitiones fortissimas
Rotenburg & Salzungen cepit, ac funditus destruxit. Inde progrediens
oppidum Wizenfe obsidione vallavit: quod etiam præter arcem capiens,
simili furore subvertit: ibi tunc primum capit haberi usus instrumenti
bellici quod vulgariter triboch nuncupatur, quoniam bombardarum usus
illo in tempore necdum erat inventus. Devastavit ergo Thuringiam Im-
perator vastatione crudeli: & multa contra Deum & homines in pro-
prium perniciem mala commisit.

Anno prænotato civitas Leodiensis ab Henrico Duce Brabantio-
rum in die Ascensionis Dominicæ capta est, Episcopo Huardo per fu-
gam lapsa, in qua maxima præda & inestimabiles divitiarum thesauri
à militibus & Scariantis cum damno multorum diripiuntur. Sed nulli
pepercere tali loco raptores, non Ecclesiæ, non Monasterio, sed omnia
quæ invenire poterant sine misericordia rapientes violenter auferrebant.

Eodem anno maxima utriusque sexûs multitudo hominum ex
omni Germania, Burgundia, Gallia in unum convenientes, juvenes &
senes, conjugatæ simul & virgines, Monachi & Moniales crucemque au-
thoritate propriâ sibi assumentes, multis contradicentibus Presbyteris &
prudentibus viris, ad iter se Hierosolymitanum sine ordine, sine Romani
Pontificis vel cujusdam alterius Principis autoritate, sed propriâ præ-
sumptione ducti ad mare veniunt, atque transire contra Saracenos & re-
cuperare terram Sanctam se velle magnâ voce dicebant. Cùmque ve-
nissent ad mare & neminem, qui eos navigio traduceret, haberent, serò
imprudenter se fecisse intelligunt, atque divisi ab invicem alij fame & in-
opiâ perierunt, alij rapti à pyratibus venditi sunt aut in mari submersi: cæ-
teri cum damno rerum & confusione redierunt.

Anno etiam prænotato magna Christianorum expeditio facta est,
ex mandato Innocentij Papæ cum prædicatione crucis contra Hæreti-
cos Albigenfes, qui Ruptarij sive Coterelli dicebantur, in terra sancti Ægi-
dij. Ad quod negotium Lupoldus Dux Austriae cum quibusdam Baro-
nibus atque Comitibus magnam hominum multitudinem ex Austria,
Saxonia, Francia Orientali & omni Germania sub se habens collectam
audacter processit. Audientes Hæretici tantam contra se hominum ve-
nire multitudinem, alij relictis civitatibus & castris inierunt fugam: ad
unitatem alij Catholicæ convocationis reversi, obedientiam Apostolicæ
Sedis Legato ad hoc negotium missò jurantes præstiterunt.

Quibus Domino largiente peractis idem Dux Lupoldus, Comes
quoque de Montfort, cujus principalis causa fuit contra Albigenfes, & re-
liqui Comites cum toto exercitu fidelium contra Saracenos à Massanuto
Rege Marroth in Hispaniam per mare missos processerunt, ubi prælio
cum perfidis commissò, Christiani obtinuerunt victoriam, infinitam
Saracenorum multitudinem occidentes, reliquis in mari submersis.

Eodem anno Otto Imperator IV. in oppido Saxonie Imperiali
Northausen desponsatam sibi dudum neptem, Philippi Regis filiam duxit
uxorem, nuptias ibidem Regio apparatu celebrans solemnes. Quartâ
de hinc die nova uxor subito infirmata rebus excessit humanis: variam in-
teritûs sui opinionem, ne dicam suspicionem posteris relinquens: Vin-
dictam

Leodium
capitur &
spoliatur
miserè.

Concurfus
fit populi
ad mare.

Multi ex eis
miserabili-
ter perie-
runt.

Expeditio
Christia-
norû con-
tra Albigen-
ses.

Victoria
fidelium
contra Sa-
racenos.

Otto Im-
perator nu-
ptias cele-
brat.

dictam omnipotentis DEI ratione duplici aestimantibus prævaluisse, quod & neptem duceret suam, & Ecclesiam contemneret.

Fridericus
contra Ot-
tonem eli-
gitur.

Anno prænotato Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Rex quoque Bohemiæ, Archiepiscopus Trevirensis, Hermannus Landgravius Thuringiæ, & plerique alij Principes cum Romano Pontifice sentientes in unum convenientes & ad memoriam reducentes juramentum, quod olim fecerunt Friderico Henrici Imperatoris VI. filio, cum esset adhuc puer infantulus, quemadmodum anno Marquardi Abbatis I. diximus, decreverunt illum, in Regem loco abrogati Ottonis assumere. Consultatione itaque ex more præhabitâ Ottone abjurato; Fridericum in Regem unanimiter elegerunt; mittentes ad illum cum electionis decreto nuncios solemnes Henricum de Nysen & Anselmum de Justingen viros Nobiles, strenuos atque prudentes cum quibusdam alijs; quorum nuntio informatus & instantia persuasus ad capefcendum Imperij jura quanto-
Prius
die prop
Hogev
banar
cum ob
ret. reb
dient de
honore
fulgur
faciat
pacis cu
dubio ex
claustra
bonis Ec
An
tes Rhen
conferit
Apostoli
guram
filiensis
Bohemiz
omnes R
H
bant, q
fuit, ex
est, an
Ecclesiar
permiro
ctum in
vium el
A
Mongu
cum es
antiqu
pum M
deincep
tum fili
vus est.
tuo Alb
do amil
do Duce
derici M
rum, de
dam du
nomm
Mecht
lebrati
Regem
vixere

MCCXIII.

Fridericus
II. Regnum
sumit, Ele-
ctus à Papa
commen-
datur.

Anno Lutfridi Abbatis IX. Fridericus Rex Siciliae, & Apuliae Henrici Imperatoris VI. ut dictum est, filius ex Ducibus Suevorum annos agens ætatis XX. missos ad se oratores Principum Germaniæ cum Decreto electionis ad Imperium cum audivisset, diu consentire negavit uxore simul & multis Siciliae optimatibus animum ejus in aliud mutantibus. Postremò tamen persuasus dedit consensum, & uxore cum filio parvulo in Sicilia relicta sese ad iter cum honesta comitiva & apparatu necessario in Germaniam properavit. Et primò quidem venit Romam ad Innocentium Papam, qui cum eo unum ex Cardinalibus destinavit Legatum scribens per illum, & mandans universis Principibus & Imperio subiectis, quatenus Ottone deposito simul & excommunicato, sicut diximus, relicto Fridericum ab optimatibus Regni electum suscipiant, eique obediant, & in omnibus fideliter assistant. Itaque Fridericus Italiam cum Legato & exercitu suorum exiens venit per alpium loca asperissima in Sueviam & Rhetiam Curientem: ubi honorificè ab Episcopo & nobilibus terræ susceptus ad Constantiam usque perducitur: cui Principes Regni exercitus copiam miserunt. Comperiens Otto Friderici de Apulia exitum & futurum animòque destinatum in Germanos adventum, statuit illi tempestivè occurrere: & introitum ad Regnum prohibere. Coadunato igitur suorum exercitu venit in Sueviam & in occursum Friderici properans, vidit exercitum suum quotidie defluere, & se fieri paulatim infirmiorum. Unde consistens in oppido Uberlingen non audebat in occursum Friderici procedere: propterea, quod se vidit desolatam. Adhuc tamen fiduciam habens in solo Duce de Zeringen Bertholdo descendit cum paucis ad imperiale oppidum Brisach eventum rei præstolaturus ibidem: quaerens si quovis modo copiam posset habere militum auxiliariorum ad resistendum. Ubi dum moras ageret in præsidio, & milites sui oppidanorum rapinis & injurijs multis dietim irritarent, vinumque ac pabula, & quidquid ad victum requirebatur quotidianum violenter diriperent, congregati turmatim incolæ ipsum cum suis omnibus extra oppidum potenter ejecerunt. Unde videns se desolatam ab omnibus, in Saxoniam reversus est, Fridericus autem de Constantia descendens auxilio multorum
Pri-

Otto in oc-
cursum Fri-
derici pro-
perat.

Otto cum
suis de Bri-
sach expel-
litur.

Principum fretus civitates & oppida Imperij circa Rheni fluenta quotidie progrediens in suam potestatem accepit. Ad imperiale oppidum Hagenav cum pervenisset, oppidani, qui partes Ottonis adhuc sequebantur, portas clausurunt, intrmittere illum recusantes. Qui mox vicum obsidione vallavit, & tam diu impugnavit, donec tandem expugnaret, rebellésque oppidanos in deditionem compelleret. Inde progrediens de civitate in civitatem, ac de oppido in oppidum ab omnibus cum honore suscipitur, & Rex Teutonicorum atque Romanorum à cunctis salutatur, & in breve quidem tempore totum penè Regnum obtinuit: paucis cum Ottone manentibus, vindictam ultione divinâ in eum procul dubio exercente, qui censuras contempsit Ecclesiæ; qui Clerum atque claustrales injustis exactionibus gravare non metuit: & suos milites de bonis Ecclesiæ remuneravit.

Anno etiam prænotato Fridericus Rex cum descendendo per partes Rheni de Constantia pervenisset ad Monguntiam, ibi aliquamdiu confedit, magnûmque conventum Principum in festivitate S. Andreae Apostoli celebravit. Ubi inter alios convenerunt Archiepiscopi Moguntinensium Sifridus, Trevirorum quoque simul & Argentinenfis, Basiliensis, Constantiensis, Spirensis & Herbipolensis Episcopi, sed & Rex Boëmiæ, Landgravius Thuringiæ, Comesque Palatinus Rheni: qui omnes Regi Friderico juramento fidelitatem promiserunt.

Hoc ipso anno Lupoldus, quem nonnulli Diepoldum malè scribunt, quondam Episcopus Wormatiensis in odium Philippi Regis depositus, excommunicatus, & postea ab Ottone pro scriptus, ut supra dictum est, anno Marquardi Abbatis VIII. Sifrido Archiepiscopo Moguntino Ecclesiam ejus procurante, interventu Regis Friderici, Papâ Innocentio permittente, ad Sedem suam cunctis mirantibus restituitur: quod factum in odium Ottonis, qui illum proscripserat, multis eo tempore visum est.

Anno prænotato Fridericus Rex cum Principibus descendit à Monguntia in Coloniam & deinde ad Palatium Imperiale Aquasgrani cum eisdem profectus in Regem Francorum Theutonum juxta morem antiquum per Brunonem, sive ut alibi scribitur, Sifridum Archiepiscopum Moguntinum unctus & coronatus est: regnavitque annis jam deinceps non minùs triginta. Ejus prima uxor fuit Maria Regis Arragonum filia, de qua genuit Henricum Regem Siciliæ, qui ante patrem mortuus est. At porro memoratus Arragoniæ Rex hoc ipso anno prænotato Albigenfibus hæreticis & Comitum Tholosano eorum defensori ferendo auxilium in bello fuit occisus à fidelibus Christianis, qui cum Lupoldo Duce Austriæ contra illos pugnaverant. Deinde præfata uxor Friderici Maria peperit Conradum postea Regem Teutonum & Romanorum, de quo suo loco dicemus, & mortua est. Post cujus obitum secundam duxit uxorem filiam Joannis Regis Hierusalem, de qua genuit filium nomine Jordanum. Quâ etiam vitâ defunctâ duxit tertiam nomine Mechtildem Regis Angliæ sororem, nuptijs in Wormatia solemniter celebratis: quæ peperit ei filios duos & totidem filias, Fridericum scilicet Regem Tusciæ, & Henricum Regem Lombardiæ. Agnetem quoque uxorem Landgravij Thuringiæ, & Constantiam uxorem Ludovici Land-

Xxx

gravij

Hagenav
capitur à
Friderico

Friderico
jurant Prin-
cipes Mo-
guntia.

Lupoldus
Wormatiensis re-
stituitur.

Rex Fride-
ricus II. A.
quisgrani
coronatur

Tres uxo-
res Frideri-
ci II.

gravij Hassia: de quibus alio loco dicemus, ex concubina verò genuit Manfredum, qui Regnum Sicilia occupavit.

His temporibus mortuo Brunone Colonienfium Archiepifcipo Theodoricus Præpofitus Ecclefia: Apoftolorum fuccellit confilio & auxilio Regis Ottonis promotus, & præfuit annis ſex: qui ut gratum ſe promotori ſuo exhiberet, partes ipſius Ottonis contra Fridericum tenuit, in grave diſpendium Colonienfis Ecclefia: nec Apoftolicis obedire mandatis voluit, nec ſententias Cenſurarum timuit, ut Ottone deſerto Fridericum ſuſciperet, pro qua contumacia tandem excommunicatus, & deſoſitus à Papa fuit.

Otto Epifc.
Monafte-
rienſis ca-
pitur.

Anno quoque prænotato contigit Ottonem Epifcopum Monafterienſem Regi Friderico ſecundùm præceptum Papæ conſentientem pro quibusdam negotijs venire ad Coloniam: qui à fautoribus Ottonis Imperatoris deſoſitus capitur, & Werdenam miſſus, jubente Ottone abrogato, vinculis mancipatur. Quod mox ut Sifridus Moguntinenſium Archiepifcopus cognovit, qui legatione Apoftolicâ fungebatur Colonienſes excommunicavit, & interdicto ſupponens civitatem, divina celebrari in ea prohibuit.

Ivanus
fit Abbas in
Spanhem.

Eodem anno xvi. die menſis Auguſti obiit Rupertus Abbas Monafterij quondam mei Spanheimenſis ante gradus præſbyterij in choro ſepultus: cui ſextus in Ordine Abbatum ſuccellit Ivanus Prior Conventus ex villa Spanheim oriundus, filius Gotfridi militis: qui ordinatus à Sifrido Moguntinenſium Archiepifcopo præfuit annis xxxix. menſibus iii. vir bonus & virtute prudentiæ ſingularis. Hoc ipſo anno moritur Lutoldus Epifcopus Baſilienſis, cui Walterus ſuccellit.

Rex Gallo-
rum deva-
ſtat Flan-
driam.

Anno etiam præſcripto Philippus Rex Gallorum cum magno exercitu intravit Flandriam bellaturus cum Ferdinando Comite, ſibi que illius comitatum, ut ſperabat, uſurpaturus, ſed aliter quàm putabat, accidit. Nam plurimis ſuorum captis, vulneratis & occiſis cum magno detrimento jaçturâ que rerum ſuarum, & confuſione in Galliam revertitur. Fridericus autem Rex favorem memorati Regis Gallorum Philippi in multis ſibi profuturum conſiderans, fœdus amicitia: cum eo perpetuum inijt, & pacem ad invicem literis & cautionibus neceſſarijs firmârunt.

Rex fœdus
cum Gallis
contrahit.

MCCXIV.

Otto ſupe-
ratur à Re-
ge Gallorū.

Anno Lutfridi Abbatis X. Indictione Romanorum II. Otto Imperator abrogatus atque deſoſitus coadunatis viribus terras Comitum Gelrenſis hoſtili animo ingreditur: quas ipſe ſimul etiam ferro devaſtans multa pauperibus incommoda intulit ac diſpendia rerum. Poſt hæc in menſe Julio idem Rex Otto cum Rege Angliæ avunculo ſuo, Ducéque Brabantinorum Henrico, Ferrando Comite Flandriæ & plerifque alijs contra Philippum Regem Gallorum juxta Tornacum proceſſit ad bellum: ubi factâ congreſſione manibusque conſertis Rex prænominatus Gallorum victoriam obtinuit, & multos adverſariorum occidit. Ibi Comes Flandriæ Ferrandus cum multis nobilibus tam Lotharingiæ quàm Flandriæ captus eſt: & in Galliam miſſus apud Pariſienſem civitatem vinculis & compedibus mancipatus.

Eodem anno Fridericus Rex cum valido ſuorum exercitu de Sue-
via

via descendit ad Mosellanos: & in primis Trevirenses deinde nobiles incircuitu omnes in deditioem accepit. Post hæc, Lotharingâ in deditioem similiter coactâ, Metenses & Leodienfes cum reliquis penè cunctis civibus & oppidanis in sua verba jurare potenter cœgit. Mosam deinde fluvium transiens contra Henricum Brabantia Ducem direxit exercitum: qui adhuc partes abrogati sequebatur Ottonis. Verùm audiens Regis inopinatum adventum Dux Henricus territus est, & cum tantâ multitudini posse resistere imparatus diffideret: consilio suorum præhabito, in pace venienti cum paucis decrevit occurrere, & veniam ab eo postulare. Qui veniens gratiâ supplex ab eo petijt: & sine mora impetravit. Fidelitate itaque, ut est moris, juratâ, Dux Henricus Regi Friderico filium suum & quosdam nobiles terræ dedit obsides, & Ottonem abrogatum deserens penitus deseruit.

Anno prænotato sextâ die mensis Martij stella, cometes dicta, visa est. Et eodem anno frater Conradus de Marpurg Ordinis Fratrum Prædicatorum sancti Dominici missus à Papa Innocencio prædicare & hæreticos inquirere ex Albigensum sæcibus pullulantes apud Teutones primum cœpit, & per annos ferme viginti continuavit. Mutos interea loqui, ut ita dixerim, necessitas fecit: qui per omne tempus illud plures de infimis rusticisque hominibus objecto hæreseos crimine (vero an falso novit Deus omnipotens solus) comburi fecit. Verùm cum postea manus extenderet etiam in nobiles, eorùm subordinatione occisus est, ut suo inferiùs loco, Christo largiente, dicemus.

Eodem anno Sifridus Archiepiscopus Monguntinus Apostolicæ Sedis Legatus Theodericum Colonienfium Archiepiscopus ex mandato Innocentij Papæ creberrimis literis & nuntijs monuit, quatenus Ottonem abrogatum & excommunicatum desereret, ac Friderico Regi electo & coronato canonicè adhereret: alioquin sciret se procul dubio pœnas & Censuras Ecclesiæ gravissimas incursum. Qui monita contemnens ab eodem Archiepiscopo autoritate Apostolicâ primò excommunicatus est: & cum sententiam anathematis in se lectam parvipenderet, postea mandato Innocentij Papæ tertij etiam ab Archiepiscopali dignitate deponitur. Tandem serò nimis ad mentem reversus factum suum doluit: cum omnes à se deficere paulatim & recedere vidit, quibus crediderat. Consilio igitur accepto Romam pro impetranda gratia restitutionis proficiscitur & diu multumque laborans exaudiri non meretur.

MCCXY.

Anno Lutfridi Abbatis XI. Adolphus Comes de Monte cum Friderico Rege fideliter sentiens adunatum exercitum duxit ad fluenta Rheni & castellum Werden, quod vulgari vocabulo Kaisersverden appellamus, obsidione vallans tandem cæpit: & Ottonem Episcopum Monasteriensis, quem in Colonia captum & ibi vinculis mancipatum diximus, in manu valida liberans abire fecit.

Eodem anno Innocentius Papa III. Romæ in Ecclesia sancti Joannis Lateranensi Concilium centum triginta Pontificum celebravit in mense Novembri gratiâ recuperandi terram Sanctam de infidelium manibus. Maxima in ea Synodo Prælatorum multitudo convenit. In qua comparuit Patriarcha Constantinopolitanus, similiter & Hierosolymitanus

Rex Fridericus Mosellanos subdit.

Dux Brabantia Regi Friderico subdit.

Frater Conradus de Marpurg prædicat.

Sifridus Archiepiscopus monet contumacè.

Episcopus Monasteriensis liberatur.

Concilium Lateranense celebratur.

ranus, Antiochenus autem gravi corporis valitudine infirmatus Vicarium misit, Alexandrinus verò Saracenorum dominio subiectus Germanum quendam Diaconum suum destinavit Vicarium. Primates insuper & Metropolitani Archiepiscopi unus & septuaginta interfuere memorato Concilio, Abbatum quoque & Præpositorum copiosa multitudo. Legati Regis Friderici Teutonum, Francorum, Philippi quoque Gallorum, Henrici Imperatoris Græcorum, & aliorum complurium. Multa in hac Synodo pro recuperatione Hierosolymæ tractata fuerunt: unde Papa Innocentius missis in omnes fines Christianorum literis & nuncijs suis quoslibet viros doctos & idoneos crucem prædicare mandavit. Unde per diversas provincias innumerabilis multitudo pro Christi amore ad liberationem terræ Sanctæ Cruce signabantur: inter quos fuerunt nominatim memoriæ posteritati commendandi Principes isti: Fridericus Rex Teutonum & Romanorum II. Henricus Brabantinorum Dux, item Dux Moraviæ, Dux de Lemburg, Dux de Ancei, Palatinus Comes de Thubingen, Marchio de Baden, Comes Lossensis, Comes Juliensis, Comes Montensis, Comes Spanheimensis, Comes Veldensis, Comes Hirsutus, Comes Silvestris, Comes Seinenensis, Comes de Nassauve, Sifridus Archiepiscopus Moguntinus, Episcopus Leodiensis, Episcopus Herbipolensis, Episcopus Babenbergensis, Episcopus Argentinenensis, Episcopus Patavienensis, Episcopus Eichstatisensis, & alij plures quorum Deus nomina novit, qui omnes prædicante crucem Magistro Joanne Scholastico Xantensis Ecclesiæ mandato Innocentij Papæ sese ad Christi militiam devoverunt.

Crux prædicatur contra Saracenos.

Multi Principes cruce signantur.

Coloniens. Fridericū Regem suscipiunt.

Coloniens. ab excommunicatione solvuntur.

Abbas Lutfridus privilegia revocat.

Theodoricus Coloniensis depolitus.

Anno prænotato venit ad Coloniam Theodericus Archiepiscopus Trevirorum, qui cooperante Henrico Brabantinorum Duce juxta mandatum Apostolicum sibi transmissum cives ad subjectionem Friderici Regis induxit, eosque pace reformatā ab excommunicatione & interdicto, quibus per annum & menses quinque fuerant innodati propter suam rebellionem & captivitatem Ottonis Episcopi Monasteriensis, ut supra diximus, absolvit. Concordiā verò reformatā idem Archiepiscopus Trevirorum quartā die mensis Augusti prænotato anno Missam in principali Ecclesia sancti Petri Apostolorum Principis in præsentia tam Cleri quàm populi cantavit. Eodem die Rex Fridericus urbem Coloniensem ingreditur, quem cives summo honore suscipientes homagium ei subjectionis & fidelitatis juxta consuetudinem jurantes præstiterunt, qui diebus septem ibi mansit.

Anno etiam prænotato Lutfridus, hujus Cænobij Hirsaugiensis Abbas sæpe dictus Fridericum Regem in oppido Hagenavve consistentem accessit, & confirmationem omnium privilegiorum per Reges & Imperatores, suo Monasterio prænominato eatenus commissorum cum ulterioribus indultis & gratijs impetravit; quemadmodum in literis patet desuper confectis, quæ donata fuerunt in memorato oppido Hagenavve Anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo quinto decimo, octavo iduum Julij, Indictione Romanorum tertiā, sicuti patet in eisdem.

Eodem anno posteaquam Theodericus Coloniensium Episcopus abrogatus diu multumque apud Romanum Pontificem pro sui restitutione

tione frustra laborasset nihil impetravit, sed honore vacuus & omnino contemptus in patriam redire coactus est: Papa Colonienfibus per Apostolicas literas mandante, quatenus alium sine mora deberent eligere. Clerus itaque mandatum Papæ fufcipiens mox sine mora obedivit & Engelbertum, filium Comitis Montensis majoris Ecclesiæ Præpositum sibi in Archiepiscopum concorditer delegit, virum optimum, amatorem Cleri, pauperumque defensorem, & justitiæ cultorem infatigabilem; qui ordinatus præfuit annis ferme decē: quem Fridericus Comes de Yfenberg nepos ejus postea, sicut dicemus, crudeliter interemit.

Item anno præscripto Walterus electus Ecclesiæ Basilenfis Episcopus coram Papa Innocentio accusatus, quod non canonicè sive regulariter intrasset in ovile Domini, quod non canonicè sive regulariter intrasset in ovile Domini, Romam ab eodem summo Pontifice citatus fuit. Qui veniens ad examen Apostolicæ discussionis cum se de Simonia & alijs objectis criminibus expurgare legitimè non posset, à Pontificatu suo, quem perperam usurpaverat, depositus est; & Henricus subrogatus.

His temporibus multi fuerunt in occulto hæretici, qui varios contra Ecclesiasticam autoritatem profitebantur errores; qui Albigensium sequaces facti, Germaniam, Italiam, & Galliam in locis pluribus scædaverunt. Contra quos Apostolica Sedes inquisitores varios deputavit, è quibus apud Germanos frater Conradus de Marpurg Ordinis sancti Dominici, de quo supra diximus anno proximo præcedente, plures fecit igne cremari. Nam in civitate Argentinensi hoc anno non minùs quàm octoginta numero comprehensi sunt, quos memoratus frater judicio ferri candentis examinare contra prohibitionem Canonis publicè consuevit; & in quos ferrum adussit, mox ignibus tradidit. Unde paucissimis exceptis, omnes qui coram eo semel accusati fuissent, & per judicium ferri candentis examinati, videbantur illum plures damnavisse innocentes, dum candens ferrum à peccatis nullum reperiret alienum, quem exercere non posset, etiamsi hæresis crimine careret.

MCXXVI.

Hoc anno Lutfridus Abbas hujus Monasterij Hirsaugiensis XXII senio gravatus & morbo dysenterici correptus, post multos labores, quibus Congregationi suæ utiliter præfuit annis xi. & xv. diebus, tandem cum Domino in æternum quieturus ab hac mortalium peregrinatione decessit, xv. die mensis Februarij, anno ætatis LXX. plenè exacto, indictione IV. vir bonus & mansuetus, quippe qui tam in Monachatu suo quàm in Prælatura cum subditis sibi Monachis in omni pace & tranquillitate ambulavit; cujus corpus non sine lachrymis filiorum in medio prædecessorum suorum sepulturam in Ecclesia Monasterij Apostolorum principali honestam accepit.



Xxx 3

De

Engelbertus
fit Archiepiscopus
Colonienf,

Walterus
Episcopus
Basilenfis
deponitur.

Multorum
in diversis
locis Hæreticorum
cœbustio.

Varia de F.
Conrado
opinio.

Lutfridus
Abbas moritur.